



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Thomas Ep. M. 29. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Puram si ambit, domi habet; suo pingat de sanguine. At ne novi quidem hostem meum. Hoc plus etiam metuo. Certè infans est. Pereat hic omnis in regno, ut unus ille pereat. Etiam innocens? jam nocens est, qui hostis est. Sed quí hostis? quia ego hunc timeo. Sed tyrannum dicent. Nimirum vetus hoc Regis nomen est. I, miles, omnes bimulorum cunas everte; balneum his para cruentum, sed dignum hoste. Hæc ille; cùm intercā Angelus parvulum Regem, magnumque exulem in Ægyptum, gloriósâ fugâ, deducit. Sæviit nihilominus barbarus mucro. Vbi que clades, & funera. Vidisses majora vulnera quām corpora, plus lactis fundi quām sanguinis; hunc saxo, illum capulo frangi; hunc è gladio, illum ab hastâ pendere, multis teli vicem militis vultum esse. Dedit tamen poenas tyrannus: morborum enim omnium theatrum factus, eodem anno, cùm tot homicidia parricidio insuper maximi natu filii cumulasset, vitâ regnoque excidit, peritque. At prætextata illa turba cœlo scilicet vivit, ridetque etiamnum tyrannum, quod talis infantes timuerit. Ex Baron. & Saliano.

Si temporalis & speciosa nos delectat domus, quanto magis spiritualis mansio decora & caelestis nostrum sibi debet vendicare affectum? non minùs in spiritualibus quām in temporalibus inveniamur cupidi, potissimum cùm ista momentanea sint, illæ eterne. S. Laur. Iust. de SS. Innocent.

S. THOMAS EP. M. 29. Decembris.

Non jam primùm sanguine piorum rigaris Anglia. Iam olim fuso THOMÆ crucifrustrum debebas, nisi eheu! sterilitatem hæresis in duxisset.

duxisset. Sed ego ad THOMAM me verto. Adolescens cùm eripere aquis accipitrem laboraret, ipse iisdem pñè abreptus est. Sed molæ rota extitum aliàs adnatantibus, tunc sponte suá constens, THOMÆ scala fuit. Debebat scilicet diutius Angliæ regno, cujus Cancellarius postea creatus à rege est. Paulò pòst hic insulam Cantuariensem addidit: quam tanti THOMAS fecit, ut hanc postea regi edictis impiis contra Ecclesiastiam pugnanti non dubitarit opponere; quin solà cruce armatus cum irato congregari. In illâ pugnâ, ut amat fieri ad tribunalia, damnatur innocentia ad vincula. Sed libertas Christiana exilium elegit, in quod ipsum rex omnes amicos THOMÆ egit, ut si non suæ suorum certè miseriæ succumberet. Sed his calamitatibus ille ad martyrium, velut tyro ad palum, se exercebat. Nec multò pòst ipse conspicuus Christus ad palinam invitavit. Ergo redux in Angliam in templo invaditur. Prodit THOMAS in amplexus hostium, vetat primò cuiquam alteri è suis manum injici, jugulū deinde præbet, cadit, & muneris sui neque post morteni oblitus, bene omnibus è feretro dicit. O nunc iterum aliquando THOMA, bene Angliæ tue precare. Ex Eduardo.

Nihil in homine, cui curiositas proficit, invenies. Frivola prorsus & inanis ac nugatoria consolatio: & nescio quid illi durius imprecet, quam ut semper habeat quod requirit, qui jucunda quietis suggirans curiosâ inquietudine delectatur. S. Bern. in sent.